QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVI. FEBRVARII,

M. FRANCISCO PAIOT Doctore Medico, Præside.

879

Est-ne scirrhus hepatis sanabilis?

HEPAR fœcundum morbis viscus, simplici rarò vexatur intemperie: quæ si calida sit, cibi fastidio, sitique vehementi, si frigida, contrarijs signis innotescit. Vbi hepatis calor immodicus, tum & chyli, & sanguinis substantia inardescens, in bilem, igneum, & torridum humorem degenerat: sin verò segnescit, & inerti frigore hebetatur, tum quidquid ab eo profluit, crassi est, lenti, ac contumacis succi. Pari fortunâ siccescens, densam; supra naturam humescens, tenuem, & aquosam materiem fundit. Atque vt redeunt omnia in centrum, & originem, si copiâ sanguinis, aut æstu premuntur venæ, refluxu riuorum hepar inflammatur. Ardorem hunc nec tactus facilè coniectat, nec vniuersa visceris substantia sentit. Imâ laborante, superior nonnunquam sospes. Affectum produnt febris ardens, dextri hypochondrij grauitas, dolor, licèt non semper iugulo tenus, arida, & exigua tussis, difficilis respiratio, lingua in primis rubens, dein nigra, sinceræ vomitus bilis, aluus pigra, demum infausta morborum parens obstructio, à qua, si diu hæreat, scirrhus.

SCIRRHVS hepatis (cui insuetum œdema) tumor est præter naturam durus (exquisitus doloris expers) quem tactu, si in hydropem nondum euaserit, deprehendes. Ex iecoris situ, aut figurâ indicium est. Tum dexter ægro facilis decubitus, grauis sinister, fœdus color vultum deformat, vrina tenuis, pedum tumor, corporis macies. Scirrhi ortum adiuuant venarum occlusæ scaturigines, ac cohærentes meatus: sanguinis crassior substantia fonti instagnans siccescit, & immoderato hepatis calore induratur. Malè curata phlegmone, morbi nonnunquam huius causa, rarior hæc tamen, frequentior obstructio, & iecoris, ac fluentium ab eo venarum interdicta consensio. Humor enim è cuius varietate, varii quoque scirrhi nascuntur, suapte naturâ in reliquum corpus emergens, vbi obstacula inuenit, in iecoris substantiam refluit, & copiâ facit pauperiem.

MALVM hoc difficile quidem, tractabile tamen, nec vnico medicamine profligatur. Facessant qui malè de Medicina sentientes deploratum putant quidquid sennæ, & scalpello reluctatur, nec malorum Medicorum more insanabiles morbos credimus, quos ista non sanant. Quod vni prodest, cæteris vtile arbitrari, insania est. Vt non vna corporis, humorum, & morborum, ita non vna medicinæ ratio. Quod huic remedium, alteri exitium est. Qui vtramque in hac curandi methodo anchoram tantummodò ponunt, hi quibusdam salutem, pluribus perniciem creant. Frigidę ęgritudines, sanguinis missione inualescunt, non expugnantur. Non diuturnos affectus, non hydropem, non hepatis scirrhum, tali artificio sanaueris,

TENVEM victus rationem præscribat, qui hepatis scirrhum curare cupit. Ea sit ex pane triticeo, fermento, sale & clibano ritè parato. Similaginem omittat. Potus sit ptisana mellita, vinum pallidum, pellucidum subflauum, non dulce. Auibus vescatur æger, putà perdicibus, turdis, passeribus. Animalium sanguinem vitet. Impactum, & infixum humorem sennâ, epithymo, polypodio, elleboro, prasij succo, agarico, absinthio, nardo celticâ per ἐπίκρασιν eliminet: ipsius contumaciam frangat capparis, erucæ, apij, petroselini, & fructuum therebinthi decocto: induratam hepatis regionem, sabino oleo, althææ, cucumeris syluestris radice incoctâ, irriget. Molliat ceruinæ medullæ, Seui leonis, Ammoniaci thymiamatis aceto liquati, bdellij, styracis cataplasmate. Ex lapide pyrite igni candente assurgens aceti vapor, affectâ parte excipiatur.

CVM hepatis robur scirrho nondum est solutum, non visceris substantia libata, virésque non extinctæ, sanguinis generatio, quæ hepatis proprium est opus, adhuc in integro: talis verò efficientiæ præsidia nobis præsto sunt, quæ humoris scirrhum parientis peruicaciam vincant, crassitiem incidant, incisum humorem foras pellant, induratum molliant tumorem, mollitum dissoluant: tunc certè de eius curatione benè ominandum, quam feliciter adimplebimus, si conuenienti adhibito moderamine, diureticis vicissim vtamur.

Est ergo scirrhus hepatis sanabilis.



Proponebat Lutetiæ CAROLVS LE BRETON, Parisiensis. A. R. S. H. M. DC. XL.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Guenault.
M. Nicolaus Brayer.
M. Cyprianus Hubault.

M. Guido Patin.
M. Iacobus Theuart.
M. Vrbanus Bodineau, Regis Medicus.

M. Ioannes Texier.
M. Robertus Tulloüe.
M. Dionysius le Soubs.

Patho